

*jure canonico.* — Nec obstat textus can. *Mulierem*, 33, q. 5, ubi inter alia de muliere dicitur: «Nec docere enim potest, nec testis esse.» Nam, ut concordentur jura juribus, dicendum est cum Glossa ibid. *¶ Nec testis*, istud esse intelligendum in causis criminalibus, quia enim in causis criminalibus criminaliter motis agitur de rebus maximi præjudicii, nempe de morte; vel mutilatione hominis, aut hujusmodi: merito femine tum ob fragilitatem consilii, et dubia vota sua, tum ob mutabilitatem et inconstantiam suapte natura sexui illi congenitam, a ferendo testimonio in eisdem repelluntur: «nam varium, et mutabile testimonium semper femina producit;» prout legitur c. *Forus*, 40, de *Verb. signif.* Ac per hoc patet altera pars date conclusionis.

86. *Et quid secundum jus civile?* — Notanter tamen in ea additur, «saltem spectato jure canonico.» Nam, quod secundum jus civile nec in criminalibus mulier a testificando repellatur, desumitur ex l. *Ex eo*, ff. h. t. et notat Abbas c. *Quoniam*, 3, h. t. et Farinacius, q. 59, n. 17 et seqq. allegans communem, paucis exceptis. Sed de hoc civilistæ.

87. *In criminibus capitalibus tres femine contestes reum non convincunt. Secus in furto v. g. quando agitur civiliter.* — Inferitur proinde, quod in criminibus capitalibus, et ubi agitur de pœna mortis inferenda, tres femine contestes reum non convincant. Farinacius, quæst. 59, n. 29, allegans alios. Unde ulterius, licet factum (rei alicujus gravis) si agatur civiliter, probetur per duas feminas contestes; secus tamen est, quando agitur criminaliter. Farinacius, cit. quæst. 59, n. 31, post Angel. Aretinum, consil. 71, n. 57 et 58, lib. I. *Consil. crimin.* et sequitur Pirhing h. t. n. 68.

88. *Mulier nequit esse testis in testamento; nisi ad pias causas. Bene tamen in codicillo.* — Resp. II. Data tamen conclusio plures patitur limitationes. Sic enim, loquendo de causis civilibus, mulier nequit esse testis in testamento, § *Testes autem*. Instit. de *Testament.* Etsi secus sit eo codicillo: ibi enim nullo jure reperitur rejecta mulier, quo minus testis esse possit. Glossa in l. ult. c. de *Codicill.* Imo etiam in testamentis ad pias causas, potest mulier esse testis; idque favore piæ causæ, et animæ testatoris. Fagnanus c. *Cum esses*, n. 34 et seqq. de *Testament.* et alii.

89. *Mulieris testimonium non admittitur in causis feudalibus.* — Insuper in causis feuda-

libus non admittitur testimonium mulieris, text. clar. lib. II. *Feud.*, tit. XXXII. *Qui testes sunt necessarii*, etc. Nisi forsitan femina esset illustris, et haberet feudum sub se: talis enim est idonea ad testificandum in causa feudali. Mascardus, concl. 765, n. 3; Farinacius, cit. quæst. 59, n. 40 et alii, quos allegant.

90. *Mulieris testimonium non admittitur in causis civilibus arduis.* — Quin etiam in causis civilibus, ubi agitur de rebus arduis, seu magni præjudicii (puta, ubi controversia est de omnibus bonis, vel majori parte eorum, l. *Propter litem*, § 1, ff. de *Excusat. tutor.*) mulieres ob inconstantiam, et fragilitatem consilii sui, non censentur testes omni exceptione majores; adeo, ut duarum testimonium non efficeret plenam probationem. Siquidem causæ civiles arduæ æquiparantur criminalibus, ut dictum n. 92, adeoque in ipsis requiruntur testes magis idonei, et quibus nihil prorsus vitii potest opponi. Farinacius, cit. quæst. 59, n. 37 et 38; Pirhing, h. t. n. 66.

91. *Mulier potest esse testis in causis criminalibus civiliter motis.* — Loquendo etiam de causis criminalibus, quamvis spectato jure canonico mulier non possit esse testis, quando agitur criminaliter, seu ad sumendam publicam vindictam, ut dictum; nihilominus, quando agitur de crimine solum civiliter, v. g. ad compensationem damni illati, vel privationem beneficii, admittitur etiam femina in testem; ut c. *Tam litteris*, 33, juncta Glossa *¶ Feminas*, h. t.

92. *Quando de crimine agitur per modum denuntiationis, inquisitionis, vel exceptionis. Ac in nonnullis casibus.* — Idem est dicendum, quando agitur de crimine per modum denuntiationis, inquisitionis, vel exceptionis: quia tunc etiam femine admittuntur in testes. Glossa, loc. cit. et alia Glossa in c. *Quoniam*, 3, juncto textu h. t.; Farinacius d. quæst. 59, n. 9, allegans plurimos alios. Tacentur crimina excepta, v. g. læsæ majestatis, hæresis, et hujusmodi; item, quando est defectus aliarum probationum; vel ubi agitur ad defensionem alicujus, seu ad probandam ejus innocentiam; et generaliter omnes illi casus, in quibus infames de jure canonico ad testificandum admittuntur: nam in ipsis etiam, ac multo magis admittuntur femine, juxta Glossam in can. *Mulierem*, q. 5, *¶ Nec testis*. Farinacius, cit. quæst. 59, n. 8 et 10 ac seqq. allegans alios. Proinde videantur dicta superius § 2, n. 50 et seqq.

93. *Pauper, seu testis pauper, quis?* —

Quæritur IV. An pauperes, vilesque personæ, a testimonio in judicio ferendo repellantur? Ubi prænotandum, quod doctores nonnihil variant, quis censeatur *Testis pauper*; uti videre est apud Alexandrum, consil. 15, n. 2 et seqq. lib. III; Farinacius, de *Testib.* quæst. 57, n. 90 et seqq. et alios. Primo enim Glossa in Auth. de *Heredib.* et *Falcid.* § *Si vero absunt* *¶ Substantiam*, collat. 1, cum non paucis aliis voluit illum dici testem pauperum, qui non habet tantum in bonis, quantum valet causa: prout in simili non dicitur idoneus tutor, qui non habet tantum in bonis, quantum habet pupillus, § *Sed et propter paupertatem*. Instit. de *Excusat. tutor.* Secundo Speculator tit. de *Testibus*, § 1, n. 61; pluresque alii volunt, testem pauperem dici, qui non habet quinquaginta aureos in bonis: cui sententiæ favet textus in l. *Nonnulli*, ff. de *Accusation.* ubi legitur, quod ab accusando repellantur «nonnulli propter paupertatem; aut sunt, qui minus, quam quinquaginta aureos habent.» Priorem sententiam ait Alexander; et Farinacius, ubi supra, n. 92, loqui in causis civilibus, posteriorem in capitalibus. Tertia, et cæteris expeditione sententia asserit *Pauperem* dici non solum illum, qui necessariis ad vitæ sustentationem caret, (de quo nullus dubitat) sed etiam, qui convenientia ad sui status conditionem non habet; quantum hoc ipsum judicis arbitrio sit remittendum. Ita Glossa in Auth. *Præterea* *¶ Locuples*. C. *Unde vir*; Sperellus, decis. 156. *Fori ecclesiast.* n. 17 et 20; Farinacius, cit. quæst. 57, n. 93, hanc appellans veriore, magisque approbatam opinionem, pro qua etiam plurimos alios allegat; Menochius, lib. II, de *Arbitrar. judic.* cas. 65, n. 7, asserens, quod crebriore calculo recepta sit opinio, hoc totum relinquens judicis arbitrio, qui juxta personarum qualitatem iudicet divitem, ac pauperem. Antonellus, de *Regimin. Eccles.* l. I, cap. x, § 1, n. 6; Vincentius de *Justis*, *Dispensat. matrim.* lib. I, cap. vii, n. 69; citans Rotam, decis. 230, n. 4, part. VI. Recent. Et loquendo de tali teste paupere, qui judicis arbitrio convenientia ad sui status conditionem non habet; seu, qui decenter statum suum sustentare nequit.

94. *Regula est, quod pauper, vilisque persona, non sit testis idoneus, et omni exceptione major.* — Resp. I. Regula est, quod pauper, vilisque persona non sit testis integer, et omni exceptione major: potest enim contra eum opponi paupertas, quæ ipsi de fide diminuit. Textus

est in l. III, § 1, ff. h. t. quæ est canonizata can. *Si testes*; § *Testium fides*, 4, q. 3, ubi inter alia in persona testium diligenter examinandum, et explorandum dicitur, «Utrum quis decurio, an plebeius sit. — An locuples vel agens sit, ut lucri gratia quid facile admittat.» Quibus posterioribus verbis, etiam ratio datæ regulæ indicatur. Concordat can. *Imprimis*, § *Sed et de personis*, 2, q. 1, ibi: «Aut ne inopes sint:» cum similibus. Atque ideo hanc regulam tenet Glossa in cit. Auth. de *Heredib.* et *Falcid.* § *Si vero absunt* *¶ Substantiam*, collat. 1. Speculator, tit. de *Testibus*, § 1, n. 61; Baldus, c. *Si quis testium*, n. 5, h. t.; Mascardus, de *Probat.* concl. 1161, n. 1 et seqq.; Farinacius, d. quæst. 57, n. 1, 3 et 5, cum plurimis aliis, quos allegant.

95. *Refertur sententia aliorum, contrariam regulam statuentium.* — Fatendum quidem, quod Socinus in *Fallentis*, reg. 289, post Glossam fin. in c. *Si qui testium*, h. t. et l. III, *¶ Egens*, ff. eod. statuatur regulam contrariam, dicendo, quod «Pauper ad testimonium regulariter admittitur.» Cui concordat Pirhing h. t. n. 76 et seqq. dicens, quod persona inops, nisi aliunde sit suspecta, in civilibus controversiis a testimonio ferendo in judicio non repellatur; bene tamen in criminalibus causis, et civilibus arduis et magnis, quæ criminalibus æquiparantur. Quam suam regulam uterque postmodum varie limitat; adeo, ut re ipsa penitus inspecta, et pensatis inferius dicendis, parum, aut nihil a conclusione nostra differre videatur. Verum a data in conclusione regula non videtur recedendum: hæc enim, sicut magis communiter a doctoribus est recepta, ita etiam rationabilior, juriq. conformior apparet, per textus n. præced. allegatos. Accedit ratio, quia ex paupertate redditur testis suspectus: oritur enim in ipso præsumptio mendacii et corruptionis, sive quod «lucri gratia quid facile admittat;» prout loquitur textus cit. l. III, ff. h. t. et can. *Si testes*, 4, q. 3, ubi Glossa *¶ Locuples*, id confirmat auctoritate Salomonis *Proverb.* xxx, 9, petentis absentiam paupertatis, *Ne, inquit, egestate compulsus furer, et perjurem nomen Domini.*

96. *Sed defenditur prior regula.* — Nec obstat, quod pauper, qui alias caret suspicionem, bene sit admittendus ad testificandum, § fin. Instit. de *Suspect. tutor.* et notat Glossa cit. *¶ Locuples*, et alia Glossa in l. IV, *¶ Egens*, ff. h. t. dicens, quod agens ad testificandum «admittitur interdum; quia not-



tam ex facultibus, quam ex fide testis idoneus aestimatur. » Non obstat, inquam; nam regula ponitur de iis, quæ frequentius et communius accidunt: atqui frequentius accidit, ut pauperes potius corrumpantur, quam divites; unde et præsumptio juris inde oritur; donec probata pauperis integritate vitæ, fide, moribusque elidatur. Atque hoc ipsum videtur innuere Glossa proxime allata, illis verbis, « Admittitur interdum: » his enim ultro statetur regulam stare in oppositum, etsi « interdum » fallat, seu quasdam patiatur limitationes ad instar aliarum regularum. Farinacius, cit. quæst. 57, n. 3, cum aliis.

97. *Hæc procedit cum primis in causis criminalibus.* — Resp. II. Data conclusio, sive regula cum primis procedit in causis criminalibus, utpote in quibus pauperes, vilesque personæ non solum non censentur testes idonei, atque integræ fidei; sed etiam a ferendo testimonio penitus excluduntur, arg. I. *Nonnulli*, ff. de *Accusat.* ibi: « Nonnulli prohibentur accusare propter paupertatem: ut sunt, qui minus quam quinquaginta aureos habent. » Et ratio est, quia in causis criminalibus requiruntur probationes indubitatae, I. *Sciant cuncti*, c. de *Probation.* testesque omni suspicione, et macula carentes, cap. I, de *Exception.* cum similibus. Atqui istud non reperitur in teste paupere, utpote cui semper potest opponi exceptio paupertatis; ergo. Mascardus, concl. 1161, n. 11 et seqq.; Farinacius, cit. quæst. 57, n. 15 et 16 et alii.

98. *Ac etiam in civilibus arduis, et magni præjudicii.* — Resp. III. Etiam in causis civilibus arduis, et magni præjudicii, pauperes, vilesque personæ non admittuntur tanquam testes idonei, omnique exceptione majores. Ita Farinacius, cit. quæst. 57, n. 26 et 27, istud exemplificans in causa unius hæreditatis, vel majoris partis honorum, arg. I. *Propter litem*, § 1, ff. de *Excusation. tutor.*; Mascardus, loc. cit. n. 16, allegans Parisium, consil. 188, n. 27, vol. V; Pirhing h. t. n. 77 et alii. Accedit ratio, quia causa civilis tam ardua, tantique præjudicii, æquiparatur causæ criminali, juxta dicta superius n. 81, ergo, cum in criminali pauperes vilesque personæ non sint testes idonei, idem dicendum de causis civilibus arduis, seu magnis.

99. *Secus in non adeo arduis. Ac in instrumentis.* — Dicitur notanter, « in causis civilibus arduis, » etc. Quia in causis civilibus non adeo arduis seu magnis, non penitus

repelli pauperes a ferendo testimonio in judiciis, convincit textus in c. *Si quis testium*, juncta Glossa *¶ Paupertate*, h. t. ubi iudex jubetur mittere ad recipiendum testimonium eorum, qui, « paupertate depressi, » personaliter ad iudicem venire nequeunt. Accedit, quod si aliter diceremus, multum angustaretur facultas probandi, contra I. *Quoniam*, C. de *Hæretic.* eo quod multo major sit numerus pauperum, quam divitum; prout argumentatur Farinacius, cit. quæst. 57, n. 13, et Pirhing h. t. n. 76. Huc adde quod in instrumentis pauperes, et viles non repellantur pro testibus, cum per rogationem repellantur pro testibus, cum per rogationem a partibus tacite censeantur approbati. Farinacius, loc. cit. n. 97, cum aliis.

100. *Imo et in cæteris quoque casibus admittitur pauper ad testimonium, si persona ejus sit honesta, et neutiquam suspecta. Paupertas non est de genere malorum.* — Deinde per hactenus dicta non negatur, quin in cæteris quoque casibus pauper sit admittendus ad ferendum testimonium, si persona ejus cæteroquin sit honesta, et neutiquam suspecta propter suam paupertatem; juxta textum notabilem in cit. c. *Si quis testium*, 8, h. t. juncta Glossa fin. et doctores ibid. ac tenuit Rota apud Rubeum, part. XII, decis. 57, n. 12, auctoritate Baldi n. seqq. referendi istud intelligens etiam in causa ardua, qualis fuit illa, in qua Rotalis decisio emanavit. Quod ipsum procedit, licet pauper sit vilis, si tantum est vilis, quia pauper. Rota loc. cit. Concordat Menochius lib. II, de *Arbitrar. judic.* cas. 96, n. 5 et 6, plures alios allegans. Accedit ratio, quia paupertas non est de genere malorum, can. *Illa cavenda*, 15, q. 1, atque ideo se sola nequit quempiam a ferendo testimonio in totum excludere. Unde regula proxime data solum vult, quod pauper non sit testis adeo idoneus, ut sit omni exceptione major: potest enim contra ipsum opponi exceptio paupertatis, donec hæc probata pauperis integritate vitæ, sinceraque fide elidatur, juxta proxime dicta n. 96. Judicis igitur arbitrio relinquendum est, quantam fidem mereatur testificatio pauperis, attendendo ad qualitatem personæ et causæ. Abbas in cit. c. *Si quis testium*, n. 8, et Felinus ibid. n. 8, et Barbosa n. 4, h. t.

101. *Notabilis objectio contra præmissa, ejusque solutio.* — Juvabit huc adducere notabilem distinctionem Baldi in d. c. *Si quis testium*, n. 5, h. t. ubi quoad propositum sic

objicit, suamque objectionem dissolvit. Ad verum dicendum, inquit objiciendo, quilibet est idoneus natura, nisi se depravet mentiendo; et magis creditur virtuoso pauperi, quam diviti vitioso; ergo. Resp. Aut incidit quis in paupertatem propter vitium suum; et non est idoneus testis: quia non solum rerum, sed famæ suæ prodigus est; et tunc repellitur: quia vitiosus in se, præsumitur vitiosus in alium multo magis, ut notatur in I. *Si aut sine vitio*, C. de *Sentent.* pass. Aut in eam incidit absque vitio suo, simulque existit bonæ famæ; et est idoneus testis. Aut nullius est famæ, neque bonæ, neque malæ; et tunc minus ei creditur, nisi quod deficit in fide, suppleat numerus. Et breviter hæc omnia committuntur iudicis arbitrio, quia non potest dari certa descriptio; ut I. III, vers. *Tu magis*, ff. de *Testib.* Ita notanter Baldus.

## § IV.

DE TESTIBUS INHABILIBUS AD TESTIFICANDUM PRO CERTIS PERSONIS; PUTA, PRO FILIIS, CONSANGUINEIS, DOMESTICIS, ETC.

102. *Parentes regulariter prohibentur ferre testimonium pro filiis, et econtra.* — Quæritur I. Utrum parentes possint esse testes pro filiis, et econtra? Resp. I. Inter eos, qui regulariter prohibentur ferre testimonium pro certis personis, seu in favorem earum, cum primis sunt parentes respectu filiorum, et econtra: nam pater pro filio, et vicissim filius pro patre, regulariter non admittitur testis in judicio. Ita communis; et patet ex I. *Testis*, ff. h. t. ubi dicitur: « Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est. » Concordat textus in I. *Parentes*, C. eod. et can. *Si testes*, q. 3. § *Testis idoneus*, et § *Parentes*. Idque merito statutum fuit propter naturalem affectionem, maximamque dilectionem, qua parentes filios, et filii parentes prosequi præsumuntur; sicque eorum testimonium redditur suspectum.

103. *Ampliatur istud ad filium emancipatum.* — Atque istud ampliatur ad filium emancipatum: hic enim non potest in testem produci ad favorem patris, nec econtra Glossa 1. in I. *Parentes*, C. eod. et in can. *Si testes*, q. 4. § *Filio*. Ratio est, quia, licet per emancipationem cessat potestas patris in filium, non tamen cessat paterna in ipsum affectio, ratione cujus repellitur a testimonio. Specu-

lator, tit. de *Teste*, § 1, n. 2; Farinacius, de *Testib.* quæst. 54, n. 154. ubi n. 157. hoc ipsum tenet de filio naturali, ac spurio, citans alios.

104. *Atque ad omnes ascendentes, et descendentes. Parentis appellatione, qui omnes comprehendantur?* — Ampliatur ulterius ad omnes ascendentes, et descendentes, tam in linea paterna, quam materna, et quidem in infinitum. Siquidem « Appellatione parentis non tantum pater, sed etiam avus, et proavus, et deinceps omnes superiores continentur: sed et mater, et avia, et proavia, » per textum expressum in I. *Appellatione*, ff. de *Verb. signif.* Speculator, loc. cit. n. 2 et 3; Mascardus, de *Probat.* concl. 1154 n. 3; Farinacius, n. 54. et alii.

105. *Regula hæc fallit in certis casibus.* — Resp. Dantur nihilominus certi casus, in quibus valet testimonium patris, vel matris pro filio; sicque limitanda est proxime allata conclusio, et regula in ea posita. Ita Mascardus, cit. concl. 1154; Farinacius, d. quæst. 54, n. 177 et seqq. ubi allegatis aliis auctoribus plures tales casus enumerant. Idemque probatur inductione.

106. *Si in probanda filii ætate testes esse possunt parentes; et qualiter?* — Sic imprimis fallit data conclusio, in probanda filii ætate. In hac enim probanda, possunt esse testes ipsimet parentes; utpote meliorem præ cæteris notitiam habentes; prout probat textus in I. *Etiam matris*, ff. de *Probat.* ibi: « Etiam matris professio de ætate filiarum recipitur; sed et avia recipienda est. » Quanquam Glossa ibid. § *Professio*, et Mascardus, concl. 669, n. 12 et 13. et Farinacius, cit. quæst. 54, n. 178, recte notent, quod professio matris de ætate filii non recipiatur ut testis, seu ad inducendam efficacem probationem semplemam ad instar unius testis; sed tantum ejus testimonium faciat ad inducendam quamdam præsumptionem, et leve indicium pro filio. Atque hoc vel maxime procedit, quando talis testificatio matris redundat in commodum filii cum alterius præjudicio. Mascardus cit. n. 12. Simulque non adjuvatur aliis adminiculis, ut puta, libro patris, in quo annotata erat nativitas filii; Farinacius, cit. quæst. 54, n. 180; Mascardus d. concl. 669, n. 15 et 16. ubi notat quod concurrente tali adminiculo mater probet ut testis; Pirhing h. t. n. 34 et alii.

107. *Item, quando agitur causa inter duos filios. Paris affectionis causa, tollit suspicionem*